IDEA CONCLUSIONIS

Facultatis Theologiæ Parisiensis, ferendæ occasione approbati à duobus Magistris Libelli, qui inscribitur : *Éloge de Michel de l'Hôpital, Chancelier de France, Discours qui a remporté le Prix de l'Académie Françoise, en* 1777.

DIE primâ mensis Octobris proximè elapsi, ad Parisiensem Theologiæ Facultatem, Magistrorum unus, in generalibus Comitiis, Orationem gallicam detulit, sequenti titulo insignem : *Eloge de Michel de l'Hôpital, Chancelier de France, &c.*

Huic operi & adjunctis eidem annotationibus, inesse multa questus est, quæ in Religionem peccare, & apertâ reprehensione sibi digna videbantur. De quibus consilia Facultatis iniri eò magis postulavit, quòd isti libello approbationem suam duo Parisienses Theologi, non sine summa multorum offensione, subdiderint.

Re in deliberationem missâ, omnium consensu statutum est, laborem curamque impendi confestim oportere, ad ea exploranda quæ factam expostulationem

contingebant. Abſque mora ſcilicet proſpicere Theologorum Ordo voluit, ut ſi quid utriuſque hujus Doctoris ſuffragio pernicioſè firmatum eſſe deprehenderetur, illud ad recti verique normam exigeret cenſoria Facultatis univerſæ ſententia.

Intellexit enim eò diligentiùs ſibi ſpectandum eſſe, ne damnum aliquod, in re præſenti, contrahat fidei integritas, quò conjunctiores Collegio ſuo ſunt, qui in culpæ ac vituperationis parte ponuntur. Et ſanè nemo uſquam eſt, divinis præſertim rebus addictus, qui poſſit officii conſcientiâ verè perfrui, niſi procul à favore ſenſuque ſuo disjunctum oſtendat, quidquid vel minimam præbet Religionis violatæ ſuſpicionem.

De more igitur ſolito, Theologica Facultas Deputatos nominavit, qui habitæ inter ultima Comitia querimoniæ rationes excuterent, ad hodierna deinde Comitia relaturi. Quod quidem munus cùm illi ſedulò & tempeſtivè abſolverint, poſt auditam, in præſenti Conventu, Deputatorum relationem, interrogatis ſingulorum Magiſtrorum ſententiis, Facultas,

I. Declarat in Oratione prædicta plura contineri à Theologo quovis Catholico planè rejicienda, & affixam eidem operi duorum Facultatis Magiſtrorum ſubſcriptionem à ſe vehementer improbari.

II. Majorum ſuorum, in cauſis ſimilibus, veſtigiis inſiſtens, (1) hanc ſubſcriptionem, *pro ſua*, quantum in ſe eſt, *authoritate*, *caſſam*, *irritam*, *nullamque pronuntiat*; ne cuiquam deinceps per ſpeciem & umbram Doctoralis nominis illudat.

III. Decernit ut eadem ſubſcriptio palàm & expreſsè revocetur à duobus Magiſtris, quibus inconſideratum illud ſuffragium excidit.

IV. Hâc occaſione datâ, Doctores omnes hortatur & admonet, ut magis ac magis attentos ſe præſtent, in iis orationibus inſpiciendis, quibus apud Academiam Gallicam, ſingulis bienniis præmia ſolent apparari. Memores ipſos Facultas eſſe velit, pro re & cauſa religionis, ſe palmarum illarum arbitris ſponſores fieri, ne Litteratorum virorum frontem coronis exornent, quas pietas averſatur.

V. Varias inter propoſitiones, in quarum approbatione deerravit utriuſque memorati Doctoris manus, ſequentes Facultas ſubjicit, unde neceſſariæ hujus animadverſionis æquitas utiliùs & faciliùs cuique innoteſcat.

(1) Vide Cenſuram in Libellum qui inſcribitur : *le Pacifique véritable*, Tom. 3. Collectionis Judiciorum, à D. d'Argentré, pag. 18-19.

I. PROPOSITIO.

Charles-Quint & Paul III donnoient le mouvement à cette grande machine, (le Concile de Trente) *& s'efforçoient de communiquer aux Repréſentans de l'Egliſe Univerſelle leurs craintes & leurs eſpérances, leurs haînes & leurs jalouſies*, pag. 9 & 10.

Hæc propoſitio, ſibi pravitate alteram affinem habet, quæ jam anno 1617 judicio Facultatis reprobata eſt tanquam *contumelioſa*, *& viam aperiens ad multas*

hæreſes in Tridentino Concilio damnatas, *revocandas*; (1) temerè, verbiſque inverecundis, & hæreſim ſapientibus, derogat authoritati Concilii, in quo Præſules *univerſalem Eccleſiam repræſentaſſe* dicuntur, quodque *Œumenicum* diſertè poſtea vocatur, pag. 12, lin. 6 & 7; irreligioſa eſt, & convicia faciens ipſi Divino numini, cujus *ſpiritu conditas* fuiſſe hac in Synodo fidei regulas omnes Catholici profitentur; & eodem *ſpiritu* ibi pariter *inſtitutas* agnoſcunt alias quaſdam leges: eas nempè quæ ſunt generalis diſciplinæ, & *totius* Orbis catholici *reverentiâ conſecrantur.*

(1) Colle,. Judici. Tom. 2, part. 2, pag. 107. Column. 2.

II. PROPOSITIO.

L'Empereur (Charles-Quint) *ne voit dans les Peres du Concile* (de Trente) *qu'une eſpéce de Légion ſainte, une Milice invincible, dont il prétend ſe ſervir pour enchaîner à ſon char les Villes libres de l'Empire Germanique, & pouvoir dire au nom d'un Dieu, à tous les Electeurs d'Allemagne : vous êtes mes Eſclaves. Le Souverain Pontiſe également ambitieux, & toujours enivré de l'ancienne opinion qui fixe le Trône du monde dans la Ville des Céſars, regarde le Concile comme un puiſſant levier, à l'aide duquel ſa main révérée peut ébranler les Empires.* Pag. 10.

Hæc propoſitio, quæ Carolum-Quintum, Paulumque tertium, ope Concilii Tridentini, nulla fidei commoda conſectatos eſſe ſignificat; ſed eos ſic animatos exhibet, ut Concilii viribus & organo, rebus tantùm ſuis inſervire vellent, ambitioſa, impiè fraudulenta, tyrannica ſolummodò machinantes & molientes: hæc propoſitio venenato detractionis felle ſuffuſa eſt; recoctas quaſdam oſorum Eccleſiæ calumnias ingerit; tota libidini conviciandi turpiter indulget: bona prætermittens, mala ſeligens, quod iniquitatis arguit vel ipſa ratio naturalis.

III. PROPOSITIO.

Il faut rétablir l'harmonie entre les Peuples Chrétiens, & l'on porte L'ÉGAREMENT *juſqu'à refuſer des Saufs-Conduits aux Députés des Nations Proteſtantes.* Pag. 10 & 11.

Hæc propoſitio, verbis quidem indefinitis prolata, ſed continuæ rerum Tridentinarum mentioni permixta & interjecta, ex ſerie & vi ſermonis, ſcandalosè in ip-

ſam Synodum Tridentinam commovet odia, quæ propter denegatum (ut objicere non dubitat) ſalvum conductum, incendere nititur. Ea quoque propoſitio, præter omnem veri ſpeciem, telum in Tridentinos Patres intorquet, eoſque infando probro, velut *averſos à ratione*, dilacerat.

Ab initio quippe Concilii Tridentini, uſque ad Julii III tempora, ipſi Proteſtantes, indomitâ contumaciâ, hanc Synodum fugitaverunt (1); cujus adeundæ propoſitum omne palàm abjiciebant, ſchiſmaticas rationes cauſati, immodica & abſurda jura affectantes, inflati turbulentis erroribus, magniſque ſuperbientes patrociniis. Subindè verò quâtuor inſtrumenta datæ Proteſtantibus publicæ ſecuritatis, in codicibus reſumpti ſub Julio III Concilii, ante omnium oculos obverſantur; (2) qua de re, (ut ceteri omittantur hiſtorici) non ipſe prorſùs ſiluit *Petrus Soavis*, licet animi in Tridentinos Patres minimè propenſi (3).

(1) Vide Fra-Paolo, Hiſt. Conc. Trident. Libr. 1°. pag. 63, 90. Libr. 2, pag. 116. Traduct. d'Amelot in-4 1699.

(2) Vide Concil. Trident. Seſſ. 13, 15, 18.

(3) Hunc ſcriptorem palàm adverſarium eſſe Concilii Tridentini dicit Boſſuetius, ac paucis demonſtrat, *Hiſtoire des Variations*, &c. Libr. XII, n°. 109, pag. 392, Edit. in-12. 1717.

I V. PROPOSITIO.

Il (de l'Hôpital) *leur* (aux plus dignes Membres du Concile) *communique ſes projets . . . . . . ſur l'abolition du Célibat des Prêtres, qui alors multiplioit le concubinage & l'adultere . . . . . il voit . . . . . échouer ſes projets ; il eſt obligé de quitter le Concile : mais il a fait briller la lumière, & la lumière diſſipera tôt ou tard les ténèbres. Il ſaura développer un jour cette vérité, qui depuis long-temps reſte engloutie dans l'abyme des Controverſes : la diſtinction ſi eſſentielle entre le dogme & la diſcipline de l'Egliſe.* Pag. 11 & 12.

Hæc propoſitio, cum temeritate & ſcandalo, Eccleſiam Catholicam obliquè perſtringit: quaſi aliquando per imprudentem inſcitiam, tum verò ex allatæ etiam lucis contemptu, legem Celibatûs Eccleſiaſtici abolere neglexerit.

Qua verò ex parte tradit, ſub tempus Concilii Tridentini flagitia Sacerdotum, ea multiplicante Celibatu, increbruiſſe: Propoſitio eadem falſa eſt, contumelioſa, favens hæreticis, vitæ Celibis hoſtibus, in ipſa Tridentina Synodo damnatis. (1)

Demum quâ parte affirmat diu tenebris obrutum fuiſſe diſcrimen ſummè neceſſarium, quod Eccleſiæ diſciplinam à dogmate dividit: Propoſitio hæc falſitate inficitur manifeſtâ, & hæreticæ pravitati proximâ. Nulla enim notior res eſt, quàm varietas in Eccleſiaſticam diſcipli-

(1) Vide Concil. Trident. Canon. 9 & 10. Seſſ. 24. de Matrimonio.

nam, ſingulis ferè ſeculis, inducta; licet dogmatis immotam eſſe veritatem Eccleſia ſemper crediderit. Ipſam itaque non olim, non diu, latuit quid diſciplinam inter & dogma differat.

Pariter nihil apud Catholicos fide certiori tenetur, quàm nullâ die Eccleſiam deſeri à Spiritu veritatis. Cui profectò fidei valdè diſſonat quiſquis tempus aliquod fuiſſe fingit, cùm ad rem ſcitu perneceſſariam Eccleſia tota caligaret.

V. PROPOSITIO.

C'eſt parmi ces horreurs, (commiſes au temps de l'Hôpital) *qu'on voit éclore une idée politique..... la diſtinction entre la tolérance Religieuſe, & la tolérance Civile.* Pag. 22.

Hæc propoſitio, quæ tolerantiæ Religioſæ & tolerantiæ Civilis diſtinctionem, ſeculo duntaxat Eccleſiæ decimo ſexto, in lucem exiiſſe ſupponit, illamque non alio ſignat quàm *politici cogitati* vocabulo: falſa eſt; Eccleſiæ conſtantem doctrinam invidioſè diſſimulat; appellatione *politici cogitati*, quam ſolam adhibet, captioſum ſenſum huic diſtinctioni affingit; recentiorem ipſius ortum ſupponens, quæ firmiora ſunt ejus fundamenta ſubvertit.

Tolerantiæ Civilis à Religioſa diſcrepantiam demonſtrat Ordo ipſe duplicis Poteſtatis divinitùs inſtitutæ, ut altera res ſpiritales, altera temporales, authoritate propriâ, moderetur.

Religioſæ tolerantiæ diſpenſatio penès Eccleſiam eſt, quæ, cùm hæreticos pœnis ſpiritualibus reprimat, pervicaceſque è ſinu ſuo ejiciat: iiſdem reſipiſcentibus veniæ ſalutaris beneficium indulget; Chriſtianæ diſciplinæ regulas, ita ferentibus rerum adjunctis, modò temperat, modò arctiùs adſtringit.

Diſpenſationem Civilis tolerantiæ exercet ſecularis Poteſtas, cui ſcilicet Eccleſiæ fidem Canoneſque tueri, ex innato jure, competit. Quod officium optimi Principes ita impleverunt, ut ſe ſubditorum non minùs Patres eſſe meminerint quàm Dominos; ut extrema ſupplicia perrarò denuntiaverint Hæreticis, iiſque facinoroſis, ac ſeditionum faces ſubdentibus; ut eaſdem pœnas, non ad quævis hæreſeon genera, non ad omnia loca, tempora, indiſcriminatim extenderint. (1)

Saluberrimum tam juſtæ diſtinctionis principium Chriſti Evangelio ſubnititur. Illud Eccleſia nunquam neſcivit. (2)

Illud vel à primis ſeculis Sanctiſſimo-

---

(1) Vide *Fleury, Inſtitut. au Droit Eccléſiaſtique, chap.* 10.

(2) Infauſta quidem quandoque tempora inciderunt, quibus miſerrimè neglectus ac penè profligatus videtur tolerantiæ Civilis uſus. Sed quæ præcipiti hominum furore, vel *zelo*, tunc geſtâ ſunt, nefas eſt ipſi Eccleſiæ adſcribere. Optabat illa tutelam ſecularium Poteſtatum, & implorabat: ſed moderatam, & finibus Evangelicæ caritatis contentam. Si piæ Matris voto nonnulli ipſius Patroni & Miniſtri neutiquam aut malè reſponderunt, Eccleſia talibus auxiliis commota magis quàm adjuta, paſſim ingemiſcebat. Hæſit omnis culpa in ejus defenſoribus; qui ſæpiſſimè, ut manſuetudinis lineas tranſilirent, minùs impulſi ſunt cœco Religionis ſtudio, quàm irâ impotenti, effreni ambitione, odio, livore, ipſâ Hæreticorum audaciâ incredibili, factioſis eorum motibus, minis ac flagitiis.

rum Hominum exempla, dictaque incul-carunt (1). In his ea distinctio radicibus validè defixa est, non in meris *artis politicæ* cogitatis; istâ sese commendat & probat origine: novam dedignatur, ipso novitatis titulo suspectam.

Recentioris ortûs notas relinquit adulterinæ illi & exitiosæ tolerantiæ, quæ fidem & hæresim uno ordine collocat; Catholicorum Principum peculiarem tutelam avitæ Religioni invidet; fœtam sceleribus impietatem cervice celsâ vagari patitur; laxiores habenas doctrinis remittit ipsos boni malique terminos divellentibus; errores omnes pudori, honestati, Regnis, Aris, minantes, à metu quolibet pœnæ civilis eximit. Talis tolerantiæ monstrum nulla Avorum ætas edere potuerat; dignum fuit quòd inter pestilentes hujus seculi fœtus pullularet.

(1) Vide Fleury, Histor. Ecclesiast. Lib. 18, n. 9.
S. Cyprian. Epist. 11, Libr. I.
S. Joan. Chrysostom. Homil. 4. de verbis Isaiæ, &c. &c.

VI. PROPOSITIO.

Il (l'Hôpital) *retrouve .... dans l'Eglise un grand nombre de Prélats, tels que nous en* REVERONS ..... *l'intrépide Montluc, Evêque de Valence.* Pag. 24 & 25.

Hæc propositio, quæ laudibus eximiis afficit, ac venerationi commendat Joannem de Montluc, Episcopum Valentinum; Virum licentioris vitæ: (1) in religione fluctuantem, sæpe naufragum; scatentium erroribus librorum authorem; (2) Potentum arbitrio versatilem; ad apologiam usque Bartholomæani piaculi projectum, (3) famæ ob ingenii quidem dotes splendidæ, (4) sed nisi senem pœnituisset, ob vitia omnino damnosæ: Hæc propositio, quæ præconiis extollit ejus indolis Antistitem, singulari vel imperitiâ, vel judicii defectu, peccat & labitur; piarum aurium offensioni nata est.

(1) Vide Bossuet, Histor. des Variat. Lib. 9, n. 99, pag. 504, & Lib. 7, n. 6, pag. 318.
(2) Vide Collect. Judicior. Tom. 2, pag. 296, 300.
(3) Vide continuat. Hist. Eccles. Lib. 173, n. 49.
(4) Vide Spondanum ad annum 1579.

VII. PROPOSITIO.

Le Chancelier (de l'Hôpital) *en ſait l'ouverture*, (du Colloque de Poiſſy) *par un Diſcours où regne l'éloquente gravité qui le caractériſe ; il lui attire les qualifications qu'on a tant de fois prodiguées aux Ecrivains courageux. On l'accuſe d'héréſie, de blaſphême & d'Athéiſme. Pour juger des progrès de la décence & de la raiſon parmi nous, il faut citer le morceau le plus ſcandaleux de ſon Diſcours...... » Il eſt néceſſaire avant tout* (1) *que les Docteurs & les » Evêques commencent par être humbles..... regardons les Pro- » teſtans comme nos Freres..... ne les condamnons pas ſans les » entendre. Par une rigueur déplacée, le Patriarche d'Alexandrie » CONTRAIGNIT* (2) *Arius à ſemer par-tout ſes erreurs : par une » conduite également indiſcrette ON força Neſtorius à perſévérer » dans une Doctrine non moins funeſte à l'Egliſe* «. Pag. 26 & 27.

Hæc propoſitio, vel potius propoſitionum prolixa ſeries, (quæ propter generaliorem Hoſpitalianæ concionis excuſationem ſuſpicioſiſſima jure merito videatur) (3) iniquam Hoſpitalii in ſanctum Alexandrum cenſuram plauſu peſſimo ſpeciatim excipit. Verba quippe Cancellarii quæ cenſuram hanc complectuntur excerpit ; ac ſimul in ipſius gratiam confidentiſſimè illos compellat, quos idoneos maximè cenſet *recti* & *decori* æſtimatores. Quaſi verò nec æquitatis, nec *decori* oblitus ſit Hoſpitalius, cùm fretus unâ Socratis hiſtorici opinione (4) ſanc-

(1) *Extrait du Diſcours de l'Hôpital.*

(2) Molliore Vocabulo utitur Author Vitæ Gallicæ Hoſpitalii, pag. 228. Londini, in-12. 1764.

(3) Eâ generali excuſatione præſens propoſitio à labe ſcandali ſaltem ingentis abſolvit, v. g. ſequentem Hoſpitalii ſententiam, quam punctis ſcienter & ultrò interpoſitis hîc ſuppreſſit : *N'employons pas beauconp de Livres ni d'autorités* ; (dans l'examen des différends de la Religion) *il ne nous faut que la parole de Dieu ; c'eſt la ſource de toute Doctrine*. Hanc autem ſententiam vehemens urget hæreſeos ſuſpicio ; quia nimirùm hæreſeos vitio laborat aſſertum, quo fons omnis doctrinæ Bibliis Sacris, ſeclusâ traditione, circumſcribitur ; & huic aſſertioni maximè convenit relata Hoſpitalii ſententia ; in iſto quippe ejus pronuntiato : *paucis utamur Libris & teſtimoniis ; unicum Dei Verbum nobis opus eſt*, voces *Verbum Dei*, ſolam Scripturam, citra Traditionem, ſeu Verbum Dei traditum, obvio ſenſu deſignant. Si quidem ubi tot ac tantæ controverſiæ movebantur, Traditionis inveſtigatio multorum Librorum ac teſtimoniorum collationem ſanè poſtulabat ; ac præterea dum mutuæ Catholicorum & Proteſtantium contentiones ferveſcebant, ex utraque parte per *Verbum Dei* ſimpliciter appellatum, Sacræ tantùm Paginæ intelligebantur (*).

(4) Vide Tillemont, Tom. VI. in Vita Sancti Alexandri.

(*) Vide Cenſuras multarum propoſitionum quæ, propter injectam mentionem ſolius *Verbi Dei*, velut omnis Doctrinæ fontis, à Facultate Theologica damnatæ ſunt. *Collect. Judiciorum*. Tom. 2, pag. 146. *Ibid*. pag. 157. Tom. 3, pag. 176 & 177.

Vide etiam Inſtitut. Chriſtian. Religio. cap. 14, n. 2 & 3. Edit. 1550. in-8.

tissimum Alexandriæ Patriarcham reum egit inconsultæ duritiei, & indidem admoti Arianis ignibus flabelli. Quem tamen virum vox totius Nicænæ Synodi ut pacis mirè studiosum collaudat (1); quem Sozomenus scribit displicuisse nonnullis, *quòd novitates* Arii, *contra quàm decebat, toleraret* (2); cui testimonium sequens à Theodoreto perhibetur paternæ lenitatis erga Arium, fanatico livoris & hæreseos spiritu ferocientem (3) *Alexander*, inquit Theodoretus, *apostolicorum dogmatum vindex & patronus, primùm admonitionibus & consiliis hominem ab instituto revocare conatus est. Sed ubi eum insanire, & impietatem suam palàm prædicare animadvertit, ex Presbyterorum ordine eum ejecit*: pœnis, ut claret, tantùm usus canonicis, & quo demum tempore necessitas ipsa postulavit (4).

Quantò magis æquitatem Hospitalii decuisset iis testibus aures commodare, ad parcendum Præsuli Cœlitibus adscripto, quàm ad crimen illi inferendum uni Socrati confidere!

Hospitalium quoque de Nestorio, duriùs, ut putat, habito, concionantem inducit & approbat propositio præsens. Sed cui dentem Cancellarius (5) imprimeret, non evidenter ipse declaravit. An sanctum Cyprillum Alexandrinum, an sanctum Cœlestinum Papam I, an Patres Ephesinos in vituperationem vocaret, noluit ad liquidum perducere. Sed gravem vel eo solo culpam admisit, quòd tanta Præsulum nomina à generali sua criminatione non tuta præstiterit; imò quòd delicti communis illos omnes subobscurè & injuriâ postulasse videatur.

In his profectò videtur Hospitalius fidei Patronis subirasci; hæresi, minùs quàm par est, succensere. Hos ex illius concione putidulos flores malè deprompsit præsens propositio, nimis blandita nuperis Tolerantibus: quorum *sapientia prima est* odisse fidei vindices, & quibus, quidquid impietatem pungit, statim dolet, velut unguis in ulcere.

---

(1) Vide Epist. Synodi Nicænæ apud Socratem Lib. I. Histori. Ecclesiast. cap. 9, pag. 13, *Edition. Paris.* 1677.

(2) Vide Sozomenum Lib. I. Hist. Ecclesiast. cap. 15, pag. 179. Ibidem.

(3) Vide Theodoretum Libr. I. cap. 2, pag. 4. Ibidem.

(4) Vide Tillemont, loco suprà citato.

(5) Indefinitè loquitur : *On força Nestorius*,

VIII. PROPOSITIO.

Une Guerre de plusieurs siècles divisoit les Théologiens & les Jurisconsultes, (sur le prêt à intérêt) ...... *ceux-là fixés à la lettre d'un Texte équivoque des Livres Saints, mettoient au rang des crimes le prêt à intérêt : on ne vouloit adopter aucune distinction entre l'usure & l'intérêt légal ..... le commerce languissoit, ... le Chancelier voit le mal ..... il tranche le nœud, & fixe l'intérêt de l'argent. Aussi-tôt la circulation prend un cours rapide.* Pag. 38 & 39.

Hæc propositio quæ supponit Jurisperitos inter & Theologos exæstuasse, multis ante Hospitalium seculis, controversiam de mutuo fœneratitio; quæ docet

docet ad ambiguum quemdam Scripturæ locum revocari omnia Theologorum, contra hoc mutui genus, argumenta; quæ malum negotiationi, ut inquit, illatum mutui fœneratitii repudiatione, sanatum esse pronuntiat, statim atque per legem Principis determinata est pecuniæ fetura:

Hæc propositio falsa est; immeritò Jurisperitos & Theologos inter se, generatim hac in re, committit; captiosa est, & favens usurario lucro, quod ex mutuo, ipsius mutui nomine, percipitur; prohibente non uno tantùm Scripturæ loco, sed plurimis: ac prohibitionem illam declarante Traditione, innumeris Conciliorum, Pontificum, Patrum documentis & definitionibus consignatâ; occultè ac temerè versiculum capitis sexti S. Lucæ trigesimum quintum, velut ambiguum & ancipitem indicat; quem nempè locum, ut illustrissimi Bossuetii verba hîc adhibeantur, *Traditio tota ad usuræ*, seu mutui ex se ipso lucrosi, *condemnationem consecravit* (1); perversum Legum in Gallia vigentium interpretationem, eamque Supremi Senatûs sapientiâ semper reprobatam, suggerit; innuens scilicet redditum legalem pecuniæ, vi solius mutui, licitè percipi posse, secundùm jura prædictis legibus expressa; hunc tamen redditum, ut reipsa sinunt Leges illæ percipi, justis aliundè titulis occurrentibus: ita in ejusmodi titulorum numero, mutuum solum, ratione suî ipsius, nunquam reponi permiserunt.

(1) Vide Bossuet in documento Pastorali contra versionem Novi Testamenti Trevoltii Edit. 1702, pag. 178. Edit. Parisiens. 1702. in-12.

IX. PROPOSITIO.

Les Papes qui dans l'origine n'avoient agi sur le Monde Chrétien qu'en qualité de PREMIERS DOCTEURS DE L'ÉGLISE, *profiterent de l'ascendant qu'avoit acquis la Religion sur les Nations de l'Europe. En 1179, Alexandre III excommunia indistinctement quiconque oseroit préter à intérét.* Pag. 59, note 27.

Hæc propositio, quæ supponit, ad duodecimum usque seculum, solas primorum Ecclesiæ Doctorum partes in orbe Christiano tractatas esse à Romanis Episcopis; deinde verò innuit eos ad novum authoritatis genus ac fastigium pervenisse, flagrante postmodum in Europa religionis studio: hæc propositio falsa est; usum omnem Papalis in Ecclesia Potestatis, *docendi officio* ulteriorem, erroneè traducit ut mutationem moris apud Christianos pridem inveterati; temerè & subdolè impugnat authoritatem, ex institutione Christi, summis Pontificibus competentem, generales ad Ecclesiam universam Leges dirigendi, servato juris ordine, & easdem, secundùm limitationem Canonum, pœnis spiritualibus

ſanciendi; deniquè favet Hæreticis, qui *clamant*, ut obſervat Boſſuetius (1) *Papæ authoritatem creviſſe per tempora, humanam eſſe, nec totam ab initio; ſed ſuis partibus hinc inde coalitam & conſarcinatam.*

Præmissis propoſitionum exemplis abundè oſtenſum eſt, quàm imprudenter duo Theologi Pariſienſes nomen ſuum ſubjecerint illi Orationi gallicæ, quæ inſcribitur: *Eloge de Michel de l'Hopital*, &c.

Aliis propoſitionibus excutiendis, quæ poſſent reprehenſioni patere, ſuperſedebit Theologica Facultas, ne diutiùs inſiſtere cogatur arguendæ Laudationi Cancellarii perilluſtris, cujus plurima fuiſſe in Galliam merita lubens agnoſcit, ac memor profitetur. Eo igitur de reliqua Oratione ſilentio, non intendit Facultas aſſentiri ceteris omnibus, quæ, vel in ipſa Oratione, vel in annotationibus ſubnexis, ambo Doctores nimiùm patienter approbarunt; cùm præſertim libellus iſte, in decurſu examinis, obtulerit alia quæ Religioni nocere deprehenſa ſunt, ſententiis errantibus & temerè prolatis, ſtili proterviâ, dicteriorum & ambiguorum verborum jaculis: alia quæ viſa ſunt, amaris ſalibus *extra pomeria natis*, ampliſſimorum Magiſtratuum & honoratorum Civium Ordines laceſſere.

---

(1) In Corollario defenſionis declarar. Creri Gallicani, pag. 410, prima Edit. in-4.